



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Magistro Et Fratribvs Militiae Templi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

398 Epistolarum Innocentij III.

mus observari. Taliter autem mandatum apostolicum exequamini, ut fraternitatem vestram, de qua plenè confidimus, debeamus meritò commendare. Quòd si præmissum locum Cisterciensibus duxeritis conferendum, Canonicis memoratis in locis idoneis per vos provideri volumus competenter. Nullis literis &c. præter assensum partium &c. Datum Laterani IV. Idus Iunij.

E I S D E M.

Epist. 92.
De confirma-
tione privile-
giorum.

Cvm à nobis petitur &c. usque ad verbum assensu, Ecclesiam de Cuchevald. cum capell. de Silton. & de Brudeford, & omnibus alijs pertinentiis suis, sicut eam justè ac sine controversia possidetis, vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c. Datum Laterani II. Idus Iunij.

M. PRIORI ET CANONICIS
de Novo Burgo.

Epist. 93.
De confirma-
tione privile-
giorum.

I Vstis petentium &c. usque ad verbum assensu, Ecclesiam de Hovingham, cum omnibus pertinentiis suis, sicut eam justè ac sine controversia possidetis, ad exemplar felicitis recordationis C. Papæ prædecessoris nostri vobis & per vos Ecclesiæ vestræ auctoritate apostolica confirmamus &c. Decernimus ergo &c. Datum ut suprâ.

MAGISTRO ET FRATRIBVS
Militiæ Templi.

Epist. 94.
Pronuntiatur
pro illis adver-
sus Canonicos
sancti Quinti-
ni.

Cvm ex conquestione vestra jam pridem ad audientiam sedis apostolicæ pervenisset quòd Canonici sancti Quintini vobis quasdam subtraherent de illarum præbendarum oblationibus portiones quas decedentibus Canonicis, seu quocunque modo cedentibus, percipitis annuales, felicitis recordationis Lucius Papa prædecessor noster causam ipsam sub hac forma venerabili fratri nostro Atrebaten. Episcopo delegavit, ut inspectis litteris quas super illis annualibus habebatis, si qua contra ipsarum continentiam subtracta existent, ea vobis omni appellatione postposita faceret resignari, & jamdictis Canonicis inhiheret districtiùs ne quid de proventibus, quos percipere in Ecclesia ipsa debetis, subtrahere aliquo modo præsumerent; quod si aliquatenus attentarent, ipsos dictiõione canonica

coërceret. Episcopus verò, sicut ex authentico ipsius cognovimus, per authentica vestra cognovit quòd quocunque modo præbendæ illius Ecclesiæ de persona ad personam transfirent, earum annualia in integrum percipere debeatis, & in usus vestros perpetuò possidere. Canonici verò quasdam obventiones, quas vocant panem, vinum, capones, & quadragesimam, exceperunt, occasione cujusdam transactionis quam inter eos & quendam fratrem vestrū intercessisse coram Sansone bonæ memoriæ Remen. Archiepiscopo affirmabant. Ad quod probandū licet testes plurimos induxissent, utrum tamen frater ille potestatem vel auctoritatem habuerit transigendi, vel excipiendi, quod ex parte vestra constantissimè negabatur, probare minime potuerunt. Episcopus autem, licet ex abundantia, nihilominus tres ex vobis bonæ opinionis viros tactis sacrosanctis evangelij jurare fecit prædictum fratrem sic transigendi vel excipiendi potestatem vel auctoritatem nullatenus habuisse, nec quòd litteras de ratihabitione habuerit, per dictos testes dictum fuerat, vel probatum. Vnde Episcopus ipse totam integritatē ipsorum annualiū vobis auctoritate apostolica adjudicavit, vos in adjudicata rei possessionem inducens: à cujus sententia, licet in commissione appellationis fuisset subterfugiū interdictum, Canonici tamē nihilominus appellarunt. Cūque postmodum iidem fratres ad sedem apostolicam accessissent, felicitis recordationis Urbanus Papa prædecessor noster bonæ memoriæ Boboni sancti Angeli Diacono Cardinali ipsum commisit negotium audiendum, ac postmodum sine debito terminandum. Qui intrècta & cognita veritate, quòd in commissionis litteris appellatio interdicta, nec suam Canonici fuerant persecuti, immo ei ex parte ipsorum interposito sacramento fuerat renuntiatum, jamdictam sententiam Episcopi de mandato & auctoritate apostolica roboravit. Ne igitur sedatum litigium ulterius malignitate aliqua suscitetur, nos Episcopi memorati sententiam, sicut à prædicto Cardinale de mandato est apostolico confirmata, ad exemplar memorati Urbani Papæ prædecessoris nostri ratam esse decernimus, & præsentis scripti pagina communimus, statuentes ut nulli omnino hominum &c. Datum Laterani Idibus Iunij.